
DE RITE

COGNOSCENDIS ET CURANDIS

NUDATIONE, CARIE ET NECROSI OSSIUM.



OBSERVATIONES

PATHOLOGICO-MEDICAE

AUCTORE

L. WISSMANN,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTOR.

HALAE,

SUMTIBUS AUCTORIS IN BIBLIOPOLIO RENGERIANO.

CIƆIƆCCCXX.

VIRO

ILLUSTRI DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

AMPLISSIMO

CAROLO HENRICO DZONDI,

MEDICINAE CHIRURGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI

MEDIC. ET CHIRURG. PROFESSORI P. O.

FACULTATIS MEDIC. ASSESSORI INSTIT. CLINICI

DIRECTORI

IN ALMA FRIDERICIANA HALENSI ET VITEBERGENSI

CONSOCIATA

PRAECEPTORI

IN AETERNUM PIE COLENDO,

HASCE

LITERARUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

OFFERT

AUCTOR.

DE

RITE COGNOSCENDA ET CURANDA NUDATIONE, CARIE ET NECROSI OSSIUM NOVAE QUAEDAM OBSERVATIONES.

PRAEFATIO.

Non dubito fore plerosque, qui cum libelli hujus titulum, novas *) quippe de difficilioribus Chirurgiae capitibus carie potissimum et necrosi observationes promittentem, ſimulque Auctoris nomen, in numero clarorum aut artis peritorum nondum cognitum inspexerint, audaciae, quid? quod arrogantiae eum accusare haud dubitent. Verum mitiora viri docti de animo ejus, et verecundia, qua hasce observationes cum iis communicare, easque judicio eorum tanquam novas examinandas et ponderandas committere ausus est, judicia ferent, cum cognoverint, eas non in privata auctoris praxi, aut ſuo modo judicio dubio et incerto factas, ſed in ſchola clinica

*) Non omnes ſed quasdam modo harum observationum novas esse jam titulus indicat.

nica et ſub auspiciis Cel. *Dzondii* praeceptoris ſ. v. institutas, repetitas et probatas nec non cum ejus venia a hujus libelli auctore publici juris factas esse. Quare cum argumentum ad quod ſpectant hae observationes, morbos nimirum ossium praecipuos ad gravissima ſcientiae medicae minusque exculta capita pertinet ſpero fore ut quae propositurus ſum a judicio virorum artis peritorum non prorsus improbentur, modo nova revera et ab experientia comprobata nec non ea, qua decet verecundia prolata erunt. Quae utrum ita ſe habeant benevoli judicent lectores.

Erit autem instituti mei ratio haec: primum naturam et medelam Nudationis ossium, deinde Cariei et postremo Necroseos et ita proponam ut ſymptomatum eorum inter ſe discrepantiam et ſimilitudinem exponam ſimulque ostendam, quibus erroribus et praejudiciis circumsepta ſit eorum ſemiotice et medela, et quomodo rectius et naturae convenienter describi possint et debeant. Deinde ad divisionem et enumerationem variarum harum affectionum progrediens, aetiologiam earum exponam; tandem prognosin faciam et postremo justam et efficacem medendi methodum a vulgari paululum alienam proponam; ſimulque causas et rationes addam cur vulgaris medendi ratio plus noceat quam proficiat.

I.

DE NUDATIONE OSSIUM.

Omnis disputatio a definitione ordiatur, ait Cicero, ordiamur igitur nostram tractationem a definienda notione et natura morborum quos examinandos nobis proposuimus.

Nudatio ossium quid ſit ipsa adpellatio indicat, nimirum nihil nisi mera periostei jactura, *ſ.* ablatio partis ossis cujusdam ita ut os illa parte nuda i. e. ſine periosteo ſit.

Symptomata.

Ad cognoscendam et distinguendam ossium nudationem per ſe a carie et necrosi non ſufficit examinasse partem ossis nudati ſpecillo exploratorio (Sonde) et eam a periosteo nudam reperiisse; idem enim in carie etiam et necrosi observatur, quae tamen toto coelo ab illa affectione discrepant. Verum tamen iste error quotidie in vita communi a chirurgis artis minus peritis et in libris chirurgicis a chirurgis magis peritis committitur, etenim quis est qui ignoret, ſcriptores chirurgicos non paucos in panaritio quartae classis, tum cum periosteum ſuppuratione currumpitur cariem videre ſibi videri? aut in fistula lacrimali e destructione ſacci lacrymalis et periostei ſub eo per ſuppurationem cariem, ſuspicari, ſi ſpecillo os nudatum a perio-

steo reperiunt? Aut in abscessu rheumatico palati, maxillarum, genarum etc. periosteum occupante et mox ſuppuratione consumente nonne cariem adesse credunt cum non nisi ossis nudatio adsit.

Neque ſuppurationis et puris natura et indoles aliquid ad diagnosin conferre potest cum non nisi in partibus mollibus ſedem ſuam habeat; neque causae remotae aut proximae fuerintne dynamicae an mechanicae nosse ad certam nudati ossis diagnosin per ſe ſufficit cum eaedem causae necrosin etiam efficere possunt.

Cognoscitur autem, et a carie et necrosi distinguitur ossis nudatio hisce momentis:

1. Periosteum deest in quadam ossis parte et aut
2. Lamina ſeu ſuperficies exterior ossis integra aut haec quoque demta est, et ossis parenchyma ſ. interior ſtructura ſpongiosa aut ſolida ſpecillo detegitur v. c. a vulneratione.
3. Suppuratio aut nulla aut bona et ſana in partibus adjacentibus mollibus adest.
4. Pars ossis nuda aëris contactu aut prorsus non, aut ſaltem per brevissimum tempus, ne per ſexagesimam quidem horae partem exposita fuit.
5. Injectiones medicae nullae adhuc factae, neque omnino remedia ossis nudati ſuperficiei applicata erant.

6.

6. Per breve modo tempus, per aliquot 3 — usque ad 7 dies nudatio duraverat, ſine expositione contactui aëris.

7. Fossula in circuitu ſ. peripheria partis a periosteo nudatae et in confiniis integri periostei, nulla adest, ſ. quod idem est nulla adsunt ſigna resorptionis inchoatae partis nudatae ossis.

8. Non adfuit inflammatio interna ossis ſeu inflammatio parenchymatis ossis — (non periostei ſolummodo.)

Omnia haec momenta ſimul adsint, necesse est, ſi certus esse velis revera neque cariem, neque necrosin ſed meram ossis nudationem adesse. Etenim ſi ſuppuratio maligna adest, aut os periosteo orbatum aëri diutius expositum; aut medicaminibus irritantibus affectum fuit; aut omnino diutius duravit nudatio: ea ossis pars corrumpitur et emoritur, ſ. quod idem est, necrosi corripitur. Quodsi vero fossula in circuitu partis nudatae in ossis ſuperficie reperitur, resorptio partis necroticae ſ. emortuae jam incipit. Denique ſi inflammatio ossis antecessit, caries adesse ſolet, quae inflammationem ſequitur. Ad confirmandam diagnosin accedat necesse est.

A e t i o l o g i a.

Seu causarum occasionalium diligens examen, quae periostei jacturam aut defectum effecerunt, quarum duae classes ſunt

I.

1. *Mechanicae.* Omnes nimirum laesiones et vulnerationes ossium, quibus periosteum prorsus destruitur, aut inflammatur et in ſuppurationem abit, tum inſtrumentis acutis tum obtusis v. c. contusiones, potissimum vero pungentibus fiunt. Facilius enim inflammatur periosteum ſi parvis iisque cylindraceis et cuspide munitis inſtrumentis vulneratur, quam ſi majoribus majora vulnera accipit. Huc pertinent etiam vulnerationes quibus particula ossis abscinditur, et fracturae quibus parva pars periostei avellitur.

2. *Dynamicae.* Causae dynamicae, quibus periosteum deſtruitur, ſunt inflammatio et inde orta ſuppuratio, omniaque momenta quae ſtimulos inflammatorios efficiunt, inter quae frequentissime observatur rheumatica affectio, quae, uti conſtat, membranas potissimum fibrosas infestare ſolet. Causae aliae nunquam aut rarissime meram nudationem efficiunt, ſed plerumque necroſin. Duplicis igitur naturae nudationes ossis esse patet, aut traumaticae ſ. inſtrumento, vulneratione factae, aut inflammatoriae, per ſuppurationem deſtructo periosteo.

Prognosis.

Nulla faustior fere prognosis est, quam nudationis ossis, quippe quae nisi perverſe curata

rata brevissimo tempore ſponte ſanari ſolet. Et mirum profecto est, quantopere in dijudicanda hujus mali natura et prognosi erraverint chirurgi et quotidie errent, cum haud raro tum, cum os non nisi periosteo nudum ſpecillo ſentiant, cariem ſuspicantur et univerſo illo apparatu, in carie vulgo adhibito, contra ſimplicem ossis nudationem accingantur.

M e d e l a.

Medela naturae. Natura ſola propriis viribus nudationem ſanare ſolet per inflammationem adhaesivam, ita ut vasa partis ossis laesi, ſimulque vasa partium ſuperjacentium, potissimum cutis, nec non periostei peripheriae partis nudatae materiam illam plasticam ſecernant cujus ope adhaesio et ſanatio per inflammationem ſic dictam adhaesivam ſ. per primam intentionem fieri ſolet.

Medela perversa. Non raro ſufficit jam ad curandum morbum perverſam medelam vitasse. Idem de nudatione ossis valet. Perversa vero medela tum adhibetur, cum pro carie aut necrosi malum habetur et variis remediis incitantibus deligatur, quae infra indicabuntur cum de carie ſermo erit.

Medela artis recta. Ad ſanandam nudationem non opus est nisi justa aptaque deligatione, quae ab aëris aditu frigoreque vulnus de-

defendat, omniaque ea ſedulo vitet atque arceat, quae ossis ſuperficiem irritare possunt. Nullo ergo remedio, nullo unguento, nulla injectione, frictione aut epithemate opus est, nullo penicillo ſ. turunda ad conservandam aperturam. E contrario omnia illa ſedulo vitanda probeque et attente vulneris aut abscessus orificium deligatione obturandum est, ita tamen ut puri, ſi adfuerit, liber exitus ſervetur. Verum rarissime ſuppuratio continuabit postquam abscessus apertus fuerit. Brevi tempore abscessus et vulnus ſanabitur, ad ſummum quatuor aut ſeptem dierum ſpatio.

II.

CARIES.

DE NOTIONE ET NATURA CARIEI.

Cariei notio ex ipso verbo hauriri nullo modo potest, cum non nisi vetusti et corrupti quid indicet.

Caries vero est effectus inflammationis ossis ipsius, non periostei ſolum, et reſpondet ſuppurationi in partibus mollibus. Quare vulgo pro exulceratione ossis habetur. Et revera non negari poteſt, cariem esse exulcerationem ossis

cum

cum inflammatione conjunctam et ex ea oriundam; verum ſicuti in partibus mollibus, duplicem habemus ſuppurationem, bonam, qua ſanatio partis laesae et cicatrisatio perficitur; et malignam, qua pars affecta magis magisque deſtruitur: ita quoque in osse duplex illa jure distinguenda est ſuppuratio. Observamus enim interdum ossis exulcerationem qua exfoliatio aut ſine illa ſanatio ossis brevi tempore efficitur; e contrario vero ſaepius etiam exempla occurrunt ſuppurationis ossis malignae, quae per plures menses et annos durat ossisque ſubſtantiam magis in diem corrumpit, erodit atque deſtruit; variisque, non ſecus ac in partibus mollibus comitatur infaustis ſymptomatibus affectionibus v. c. pessimo pure ſ. ichore excrescentiis ſpongiosis, fistulis, et necrosi. Caries ergo est ſecundum ſtadium inflammationis ossis ſ. ossis ſuppuratio.

Diagnosis. Symptomata.

Symptomata cariei quae vulgo in libris chirurgicis enumerantur, fere omnia incerta et dubia, nonnulla etiam falsa ſunt. Subjiciamus ea brevi examini

1. *Defectus periostei ſeu ossis pars nuda*, aut oculis aut exploratione per ſpecillum reperta certum cariei ſignum nullo modo esse posse, jam e ſuperioribus patet, etenim meram etiam

ossis

ossis nudationem ſine carie et necrosi indicare potest; uti in antecedentibus probatum est. Praeterea etiam in necrosi os a periosteo nudatum est.

2. *Aspera tactui ſuperficies ossis*, alterum cariei ſymptoma vulgo habetur, quo indicari docent laminam ossis externam carie corruptam ossisque ſubſtantiam exesam esse, et ſpongiosas cellulas tactui ſeſe praebere; aut excrescentiis osseis ſuperficiem asperam et inaequalem factam esse. Verum pace auctorum istorum dixerim, ſignum asperitatis esse incertum. Nam non modo in vulnerationibus ossium, quibus lamina externa ablata est, pars laesa interiorem ſpongiosam texturam exhibere et inaequalis ac aspera esse potest; verum etiam in ſtatu normali multae ossium partes asperiores aut inaequali ſuperficie ſunt, quare asperitas ſpecillo detecta in vulnere aut abscessu utrumque indicare potest. Hoc peritum quidem fallere non potest verum minus peritos, inprimis propter anomalias formationis. Huc accedit, quod etiam in necrosi, potissimum ſi reſorptionis initium et progressus quidem facti ſunt, fossulae et depressiones inaequales et asperae oriuntur, quae diagnosin per calamum exploratorium ob causas modo laudatas incertam, adhuc incertiorem reddunt. Quae cum ita ſint aspe-

ritas

ritas ſuperficiei ossis ſignum diagnosticum cariei non est.

3. *Specillum exploratorium argenteum* aut emplastrum lythargirii nigro aut fusco colore obductum multis pro certiore ſigno habetur. Verum non est. Nam neque ex ulceribus cariosis neque necroticis ichor per ſe colorem nitidumque ſplendorem ſpecilli exploratorii corrumpit et in nigricantem mutat; ſed tum demum cum aut diuturna in ulcere detentione aut causis qualitativis corruptus fuit. Omnis praeterea ſuppuratio, fuerit pus bonum an malignum, ſi diutius in abscessu aut ulcere manet, corrumpitur et idem phoenomenon in ſpecillo argenteo aut emplastro ostendit. Quare hoc quoque ſignum cariei per ſe dubium esse apparet.

4. *Odorem malignum ſeu potius cariosum* certissimum plures autores cariei ſignum habent. Nec profecto negandum est, peculiari odore ſaepe numero ſuppurationem ossis esse, praeſertim cum ſimul partes molles potissimum nervi ſuppuratione correpti ſunt, v. c. in dentibus cariosis, ſi ad nervos et vasa usque destructio penetravit. Sed neque hoc certum cariei ſignum haberi posse intelligitur e ſequentibus. Odor ille peculiaris non ſemper adest, nimirum quando partes molles ſuppuratione non corripiuntur, aut pus ex illis

or-

ortum antequam os tetigit effluit; cujus phaenomenis plura exempla occurrerunt in instituto clinico Cel. *Dzondii.* Exinde patet odorem puris ſ. ichoris e vulneribus cariosis re vera non ex osse ipso aut ejus ſuppuratione ſed a contacta puris e partibus mollibus cum osse carioso et ejus pure originem ducere. Praeterea ſimilem odorem pus ex ulceribus malignis, potissimum iis habet, quae in viciniis membranarum fibrosarum locum habent, aut fistulosarum, in quibus pus per longum tempus latet et corrumpitur. Quare pus ex ulcere carioso ab eo quod ex ulcere maligno partium mollium oritur difficillime et ſaepius prorsus non dignosci potest.

Ex his omnibus patet, primaria cariei ſigna auctorum pro certis haberi non posse, nam neque ſingula, neque conjuncta certam cariei diagnosin constituunt, ita ut a necrosi rite distingui queat. Quae cum ita ſint necesse est, ut alia via ad cognoscendam cariem nos accingamus.

Primum quidem probe tenendum est cariem esse effectum, ſive ſecundum ſtadium inflammationis ossis. Itaque ubicunque caries est, ibi ſymptomata inflammationis ossis antecessisse necesse est. Nimirum dolor obtusus et profundus, tumescentia ossis lente adaucta, color cutis non mutatus, ſuppuratio profunda ſub periosteo in

ipsa

ipsa ossis ſubstantia oriunda, ejusque parenchyma destruens; affectis denique partibus adjacentibus mollibus, periosteoque corrupto per integumenta communia, inflammatione ſecundaria correpta ſenſim prorumpens. Sedulo vero cavendum est, ne inflammationem ossis ipsius adesse existimemus, cum non nisi inflammatio periostei adsit. Tum enim, destructo per ſuppurationem periosteo nudatio modo ossis aut necrosis oriri potest, neutiquam vero caries. Veruntamen haud facilis negotii res est accurata illa utriusque affectionis diagnosis, cum ſymptomatum magna intercedat ſimilitudo. In panaritio v. c. quartae classis inflammatio et ſuppuratio in periosteo, non in osse ſedem ſuam habent, illud destruitur, neutiquam os, et plerumque nudationem ossis, interdum ſi cura perversa accedit, necrosin nunquam vero cariem nisi aliae accedant causae producunt; ſymptomata tamen cum inflammatione ossis ipsius, v. c. ex affectione ſcrofulosa orta tantam affinitatem habent, ut inter ſe confundi possint, nisi oculo attento et bene gnaro observentur.

Duo enim ſolummodo ſunt, praeter causas, quibus differunt inflammatio ossis et periostei primigenia: dolor et intumescentia, caetera perinde fere ſese habent. Dolor minor est et obtusus, intumescentia ſuperne mollior magisque circumscripta in ostitide, multo major vero et

ad

ad partes vicinas nec raro etiam ad remotiores ſerpens uterque in periostitide, potissimum in panaritiis. — Antegressam ergo ossis inflammationem pro primaria cariei ſymptoma habeo.

Jam ſi inflammatio ossis revera antecessit et ſuppuratio ſecuta est, ſymptomata quoque: periostei jactura, asperitas et inaequalitas ſuperficiei ossis, odorque peculiaris; per ſe ambigua et incerta, ad confirmandam diagnosin non parum facere possunt, praesertim ſi accedunt alia momenta, nimirum causae idoneae, de quibus in ſequentibus dicetur — et torus carneus (Wulſt) *ſ.* agger qui aperturam circumdat. Solet enim hoc aggere, ſingulari ſane phaenomeno, quantum quidem experientia attentius consulta affirmare videtur, non nisi eorum ulcerum aperturas circumdare, in quibus caries latet. Propullulat autem ista excrescentia fungosa e margine orificii ulceris, ad altitudinem circiter lineae, paremque latitudinem interdum etiam usque ad majus volumen extenditur, annulumque et quasi ſphincterem format, in cujus medio minima eaque angustissima apertura, a quarta ad decimam lineae partem reperitur, per quam pus aut ichor exitum ſuum habere possit. Causa hujus phaenomeni in puris, quod ex osse vel ſecernitur, vel ossis contactu mutatur, indole esse videtur, qua margines cutanei orificii ulceris ita afficit et excitat ut haec excrescentia fungosa in forma

valli

valli propullulet. Videtur autem natura prospiciens et in omnibus ſuis operibus ſalutares fines prosequens, aërem potissimum infestum orificio ſanationis in fundo ulceris eo melius et accuratius arcere, resorptionemque et exfoliationem adjuvare velle. Quare inuita natura, et contra ejus aperta consilia isti Chirurgi agere videntur, qui orificia ulcerum cariosorum incidere et dilatare non dubitant. Hoc ſymptoma certissimum ſine dubio et pathognomicum foret, nisi experientia doceret in necrosi etiam ſi cum maligna ſuppuratione, aut diutius ſeclusa indeque corrupto pure et excrescentiis osseis, ſpinaque ſic dicta ventosa conjuncta est, observari. Interea cum ſub hac quoque conditione inflammatoria et ſuppuratoria ossis affectio locum habet, hoc ſolummodo cum discrimine quod ſecundario e necrosi et accedente maligna aut male curata partium mollium ſuppuratione orta ſit; affectioque haec ſummam cum carie ſimilitudinem habeat; ſymptoma illud jure pro characteristico cariosae ossis affectionis habere posse videtur. Ex iis, quae modo dicta sunt apparet, commode et apte distingui posse inter cariem primigeniam, et ſecundariam; illa ex inflammatione ossis interna et e causis internis originem ducit, haec e causa externa, e necrosi aut ſuppuratione maligna partium mollium, aut perversa curatione. Inprimis vero causarum quibus ossis

mor-

morboſa affectio orta eſt cognitio, multum ad certam diagnoſin confert, quare jam ad eas progredimur.

Aetiologia.

Inter primarias et frequentiſſimas inflammationis oſſium et cariei cauſas ſcrophuloſae organiſmi affectiones et diſpoſitiones numerandae ſunt. Potiſſimum ſi intentiori gradu aut ſub forma rhachitidis infantile corpus invaſerint; aut exteriores quibus prorupuit anomaliae minus aptis remediis externis ſanatae fuerant. Huc pertinent etiam diſpoſitio ſcirrhoſa et carcinomatoſa, quae non niſi ulterior progreſſio et inveteratio ſcrophuloſi mali eſſe videntur. Syphilis quoque interdum cariei cauſa eſſe videtur; ſaepius vero necroſeos deſtructo per ſuppurationem perioſteo. Raro rheumatiſmus et non niſi ſecundario et indirecte per diuturnam malignam ſuppurationem et medelam non idoneam. Idem valet etiam de cauſis mechanicis, quae per ſe nunquam cariem efficiunt.

E quibus patet cariem potiſſimum tum ſuſpicandam eſſe, cum ſcrophulae aut diſpoſitio ſcrophuloſa adfuit. Suppreſſiones excretionum praeternaturalium et metaſtaſes, nec non ſcorbuticae affectiones interdum quidem ſed rariſſime inter cauſas cariei locum tenent.

Pro-

Prognosis.

Pendet prognosis potissimum a causis corporis constitutione, et valetudine, aetate rebusque externis aut infestis aut propitiis quibus inprimis auxilium medicum aptum aut ineptum adnumerandum est. Omnium pessimam prognosin facit habitus universalis scrophulosus in altiori gradu, et carcinomatosus, praesertim si cum aetate provecta et rebus externis infaustis conjunctus est. Tum morbi vis fere semper artis auxilio major est, febreque hectica organismum consumit, nisi forsitan interdum cum jactura membri affecti, artis manu mutilatus organismus, salutem sibi acquirere potest.

Medela.

Medela naturae. Via et ratio qua natura cariem sanare solet, haec est. Orificio ulceris arctando quantum fieri potest et vallo carneo insuper muniendo partes carie affectas sedulo ab aëris noxio contactu secludens, aut resorptione sola, et generandis novis granulationibus, aut exfoliatione partis cariosae simul, quae vel cum pure modo insensibili, aut in forma pulveris vel per lamellas, vel parte universa affecta semel separanda et expellenda fieri solet. Temporis spatium quod in hoc sanandi opere natura consumit, pro ambitu partis adfectae, organismi valetudine et viribus, nec non impedimen-

tis externis, quibuscum ei conflictandum eſt, quam maxime differt. Quo fit ut interdum aliquot hebdomades ſufficiant, interdum menſes et anni requirantur. Puris quantitas quae ex ejusmodi ulceribus profluit, multo major eſt, quam ulcerum cum necroſi. Verum non ea de cauſa, quia ex oſſe tanta quantitas excernitur, quod non niſi raro fieri ſolet, ſed quia partes molles pure irritante ex parte carioſa, ad profuſiorem puris excretionem excitantur et impelluntur.

Medela artis minus idonea.

Perverſa medendi methodus ea eſt, quae neglectis, aut parvi habitis cauſis internis, ſalutem in remediis topicis oſſis parti carioſae impoſitis, injectionibus varii generis vehementer incitantibus, ex infuſis, decoctis aut mixturis cum tinctura et liquore Myrrhae, extracto Chamomillae, G. Aſae foetidae, Acido phoſphorico, ol. caryophyllor. aromat. et hujus generis aliis quaerit; quae nihil prius habet, quam parvam a natura provida productam ulceris aperturam magna inciſione facta dilatare, eo ſcilicet conſilio ut propius ad ſedem mali accedere et remedia commodius applicare poſſit; quae turundis ac plumaceolis unguentis irritantibus tinctis ſat magni voluminis in aperturam ſatis amplam immiſſis liberum aditum ad inte-

riora

riora ulceris cariosi sibi munire debere videtur. Haec et similia qui fecerit, non modo operam et oleum perdet sed etiam, quo diligentior in exercenda hac methodo fuerit; quo saepius quotidie injectiones fecerit, eo magis suppuratione aucta partium aegrotarum corporisque vires exhauriet; efficietque ut neque resorptio partium corruptarum neque novae granulationes generari neque demum damnum partium laesarum resarciri queat.

Sunt qui ferrum candens in carei, potissimum maligna adhibeant, inter quos ipse Cel. *Boyer* est, recentissimus de ossium morbis auctor, qui plurima praeclara plurimis Chirurgis adhuc incognita de hoc argumento differit. Verum liceat a viro docto hac in re dissentire naturaeque effata auctoritati artis praeponere. Etenim caries est aut primigenia e causis internis universalibus orta, aut secundaria, necrosi et maligna suppuratione orta. In priori ferrum candens nihil efficere posse ex eo patet, quod remedium locale quantitativum causas universales qualitativas, v. c. syphilitidem, scrophulas, dispositionem scirrhosam etc. tollere neutiquam potest. In posteriori vero, cujus causa localis, nimirum in perversa suppuratione, ichoreque erodente posita est, parum aut nihil prodesse posse, inde cognoscitur, quod destructa ipsa parte cariosa, non tollitur causa novae oriundae cariei,

riei, quippe ſuppuratio maligna in partibus mollibus vicinis, quae ſi perdurat, et ob formam oſſis, excreſcentias, ſiſtuloſasque infiltrationes etc. diutius in ulcere retinetur, ita corrumpitur ut ſtatim oſſis partes circumjacentes in ambitu partis per ferrum candens vita privatae, in necroſin et cariem rurſus abeant.

Quod vel e carie dentium intelligi poteſt, quae, cum ferro candente in necroſin mutata fuit, per breve modo tempus in hoc ſtatu manet, et mox per contactum aëris et per incitationem ciborum in cariem rurſus mutatur, niſi cauſae internae tollantur. Jam cum poſt adhibitionem ferri candentis pars emortua non niſi per reſorptionem, novam granulationem et exfoliationem eliminari, id vero ſola naturae opera et non niſi tum fieri poteſt, cum puris maligni retentio vitetur, hoc vero idonea deligatione et injectionibus aquae tepidae fieri poſſit: apparet applicationem ferri candentis prorſus ſupervacaneam eſſe, et non niſi per ambages ad finem et copum hoc modo iri. Ne dicam de noxio contactu aëris, cui hac operatione, quae magnam ulceris orificii dilatationem et partium mollium remotionem requirit, liber aditus aperitur!

Me-

Medela artis recta.

Prima indicatio f. medendi regula haec eſt: Cauſam ſi perdurat, remove; ceſſante enim cauſa, ſaepe numero effectus etiam ceſſat. Cauſae vero, quod ſupra monuimus frequentiſſimae ſcrophulae ſunt, potiſſimum in infantibus. Forma ſub qua caries puerilem aetatem infeſtare ſolet, paedarthrocace eſt, ſeu inflammatio condylorum articulationum cum ſuppuratione et carie. Cui malo facilius obviam itur quam medela adhibetur, quod remediis revulſivis potiſſimum fieri poteſt, veſicatoriis, vaporibus aquae ebullientis, fonticulis, ulceribus arte factis, ſetaceis et cauterio potentiali. Verum haec uberior expoſitio non huc pertinet.

Aliae cauſae, ſyphititicae v. c. ſcorbuticae, carcinomatoſae et aliae methodo cuilibet conveniente removendae ſunt.

Secunda indicatio f. medendi regula eſt: Puri quam primum fieri poteſt, liberum exitum per parvam aperturam parare et munire ad ſanationem usque. Nam ſi diutius retinetur pus in ſuperficie oſſis, eo citius non modo ipſum corrumpit, ſed etiam partes molles vicinas corrodit aut inflammat et ſuppuratione adaucta conſumit; praeterea etiam oſſis ſuperficiem ita irritat, et ex ea excreſcentiae oſſeae, quae inſtar ſpinarum atque criſtarum propullulent, et acutis ſuis apicibus partes molles non minus quam

quam ichor, quo genitae erant, irritent, puris profluvium impediant et sanationem difficiliorem reddant. Quare maturius incidantur ejusmodi abscessus necesse est, sed ne aër ad interiores partes penetret, parva modo apertura facienda est, curandum quoque ut quotidie pus secretum affluat, ne diutius retentum corrumpatur. Hac de causa interdum injectiones aquae purae tepidae fieri possunt, neutiquam vero ad incitandum aut roborandum. Cavendum quoque est, ne penicillis e linteo carpto factis et in orificium abscessus immissis apertura ejus obturetur et liber exitus puris impediatur. Nihil igitur in orificium immittendum, sed naturae permittendum est ut quam minimum voluerit efficiat orificium ulceris aut abscessus.

Tertia indicatio est: opus naturae in excernenda parte ossis corruptae adjuva, si necesse est. Necesse autem est artis auxilium tum cum naturae vires ipsius non sufficiunt v. c. cum vires organismi morbo aut infausta conditione externa aut aetate provecta fuerint debilitatae aut exhaustae. Si vero bene valet organismus, nullo auxilio artis opus est, nisi eo, quod in quocunque abscessu requiritur, nimirum diligens ab aëris et frigoris contactu defensio. Magis enim natura bene valente et incitatione non indigente remedia incitantia nocent, quam prosunt, nimis enim excitant ideoque exhauriunt vires. —

Quodsi

Quodſi vero natura calcaribus aut adjumento opus habet, neque per injectiones, neque emplaſtra aut unguenta hoc fieri poteſt, ac debet; remedia enim optima hoc modo applicata partes molles, praeſertim vero ſyſtema lymphaticum, quippe quod quam tenerrimum eſt, et ſyſtema plaſticum nimis excitant, nimiam ſuppurationem producunt et per eam vires ſyſtematum illorum, quorum ope ſanatio fieri debet et unice poteſt, tantopere debilitant et ita exhauriunt ut paralyſi quaſi correpta per annorum ſeriem inactuoſa maneant, et ulcus in pejus magis, quam in melis mutetur.

Tenendum praeterea eſt, partes molles vicinas, ſeu ulcus circumdantes organa eſſe quorum ope et efficacia pars morboſa ſanari poſſit ac debeat, ideoque remedia iis eſſe aptanda, et applicanda; cavendumque ne nimis irritent et ſuppurationem nimis augeant. Sunt vero remedia, quae experientia teſte ulceribus carioſis optime conducunt haec:

Primum *calor* locum tenet. Calor enim vitae fons et conditio, ſi parti affectae affunditur, ſanguinem ad eam allicit, circulationem ejus ibi alacriorem et celeriorem reddit, ſyſtematis lymphatici vigorem et functionem erigit et adjuvat; ſyſtema potiſſimum plaſticum, cujus ope omnis ſanatio peragitur, alacrius et poten-

tius

tius reddit, omninoque vitam localem auget. Inprimis vero calor quam maxime in affectionibus ſyſtematis oſſium conducit, quippe cui nativa tarditas functionum et permutationis materiae competit. Adhibetur vero calor commode per epithemata ſicca calefacta v. e. linteis aut ſacculis farina aut furfure repletis; etenim non nativum ſolum partium calorem velamentis continere ſufficit, ſed praeterea calor artefactus per epithemata calefacta adhibendus, nativusque artificiale augendus eſt. Potiſſimum vero in partibus a corde remotis, inferioribus inprimis extremitatibus, quae variis de cauſis minori caloris gradu gaudent, et igitur functionum tarditate, ulcerumque majori ſegnitie et contumacia.

Praeter calorem, qui ſaepe ſolus ſufficit, *epithemata aromatica* ex herbis aromaticis variis confecta multum ad maturandam cariei ſanationem facere experientia docet. Dum enim blando modo cutis organon ejusque functiones excitant et adjuvant, eam neque a ſalutari aëris efficacia prorſus ſecludunt, neque corrumpunt uti emplaſtra. Adplicentur autem, neceſſe eſt ita, ut ab initio minus efficaces adhibeantur herbae aromaticae ſenſimque vero efficaciores ſuccedant, ut naturae legis ratio habeatur, quae conſuetudine ad incitamenta obtuſa in dies majora poſtulat.

Cum

Cum his ſimul conjungendae ſunt *lavationes et frictiones* cum liquoribus *ſperituoſis aromaticis* et *balſamicis*, qui ita adhibendae ſunt, ut partes cutis ulceris vicinae, neutiquam vero partes laeſae et ſuppurantes ipſae cum liquoribus ſpirituoſis laventur.

Praeterea eadem ratione adhibendi ſunt ſpiritus, qua epithemata aromatica, progrediendo nimirum et augendo efficaciam. Primum ſpiritus aromatici ſimplices, deinde fortiores et compoſiti, v. c. cum oleis variis aromaticis, Anthos, Saſſafras, Lavendulae, Thymi, Caryophyllor. aromatic., cum balſamo Hoffmanni, peruviano; potiſſimum vero cum Liquore Ammonio cauſtico, quem nunquam negligendum, neque in ulla mixtione omittendum ſuaſerim, cum quam efficaciſſime vires organiſmi inſtauret atque roboret.

Neque *balnea* univerſalia et topica negligenda ſunt; nihil enim magis functionem cutis auget ulcerumque ſanationem adjuvat quam calor blandus — nocent enim nimis calida — ſi per horam aut ſaltem dimidiae horae partem continuo in organiſmum agit. Hisce balneis aqua pura factis, admiſceri poſſunt deinde, ſucceſſu temporis, ſi rei ratio exigit, aromata et balſama varii generis. Haec fere ſunt blanda quidem, verum non minus efficacia remedia qui-

quibus affectiones cariofae fauftiffimo cum fucceffu in fchola clinica fanari vidi; ita ut hisce rite adhibitis aliis remediis, quae vulgo pro fpecificis habentur, v. c. Extracto Chamomillae, G. Afae — foetidae, Acido phosphorico, Liq. Myrrhae aliisque rariffime adhibendi locus et occafio fuerit, ne dicam neceffitas.

Caeterum caries primigenia nifi raro et fere nunquam nifi a caufa fcrophulofa orta obfervata eft, in omnibus illis cafibus, in quibus vulgo cariem vident Chirurgi non nifi offiis nudationem aut necrofin et hanc quidem faepiffime illam raro cognovimus; v. c. in panaritiis, in fiftula lacrymali, in parotidibus fpuriis male curatis, in fiftulis dentium, in ozoena fyphilitica, in abfceffibus fyphiliticis capitis, in pfoitide et in aliis.

DE NECROSI OSSIUM.

De notione et natura necrofeos offium.

Quid fit necrofis offium vox ipfa indicat, nimirum mortem partis offis affectae, quae gangraenae et fphacelo partium mollium refpondet. Utriusque enim natura indolis humidi et ficci necrofis effe videtur, licet hac de re nondum certe conftet, cum inter cariem malignam et necrofin humidam tanta fimilitudo intercedat ut ob fymptomatum inter fe affinitatem inprimis

mis ſi partes affectae ab oculorum aſpectu ſeclusae latent, vix ac ne vix quidem a ſe invicem diſtingui queant. Quare non niſi de necroſi ſicca nobis hic ſermo erit, humidamque cariei adnumeramus malignae, quippe cum qua et diagnoſin et medelam communem habet.

Corripit vero necroſis plerumque non niſi ſuperficiem externam oſſis, ſive laminam exteriorem, modo majori modo minori ambitu, ſimulque interdum modo magis, modo minus ſubjacentis ſubſtantiam oſſis ſolidam aut ſpongioſam. Interdum vero dimidiam aut majorem oſſis cujusdam partem, apophyſes aut diaphyſin, aut univerſum os deſtruit, ita ut prorſus emoriatur et novum ejus loco generetur, quo vetus circumdatur et ita includitur, ut aperturae maneant, per quae pus, in partibus mollibus genitum, intrat et in forma ichoris rurſus effluit. Ejusmodi oſſa emortua, nomine ſequestrium nota, tamquam corpora aliena diuturnae et nunquam niſi removeantur ceſſantis ſuppurationis cauſae ſunt. Ejusmodi necroſis univerſalis oſſis cujusdam ſaepius ſecundaria eſt, nimirum e carie orta. Duplex nimirum necroſis diſtingui poſſe videtur, primaria ſ. primigenia quae nulla alia oſſis affectione praegreſſa, per jacturam perioſtei oritur, quae etiam ſicca appellari poteſt; et ſecundaria ex ulcere ſeu carie orta, quae ob puris ſecretionem humida

da nominari poſſit, quoad nimirum ſuppuratio adeſt; Verum revera non ex oſſis parte necrotica pus ſecernitur ſed e parte carioſa; ſimulac enim pars morbosa prorſus exfoliata eſt, ipſa nullam prorſus ſuppurationem habet, praeter illam quam mechanica irritatione e partibus vicinis mollibus elicit et contactu ſuo noxio in pejus mutat. Quare aperturae in novo oſſe, vetus necroticum exfoliatum circumdans et includens, repertae non ſecundum vulgarem opinionem propterea ortae ſunt, quod ichor a ſequestre ſecretum effluere poſſit — ſequester enim pus prorſus non excernit; — ſed propterea, quod pus, e partibus mollibus ſecretum, os mortuum circumfluens et ab eo corruptum, propter continuam ſecretionem et infiltrationem in cavitatem quae inter vetus et novum os intecedit, ex illa omne prorſus effluere non poteſt. Jam cum diutius ibi moratur, corrumpitur et ſanationem perfectam impedit.

Diagnosis.

Necroſis primigenia facilius a carie quam a ſimplici oſſis nudatione diſtinguitur, omnia enim ſymptomata quae ab auctoribus vulgo enumerantur dubia et incerta ſunt. Neque enim e perioſtei defectu necroſis cognosci poteſt, nam mera nudatio oſſis eodem ſymptomate gaudet; neque ex oſſis aſperitate, haec enim

in

in utraque oſſis affectione adeſſe et abeſſe poteſt; neque e puris indole, nam os necroticum nec pus nec ſaniem ſecèrnit; neque e ſpecilli argentei mutato colore; nequaquam enim eum mutat, niſi ichor e partibus mollibus in ulcere lateat; neque demum e colore oſſis fusco aut nigro, nam hunc colorem non niſi ab aëris contactu et remediorum applicatione accipit.

Verum enim vero unum ſymptoma nullum, quare conjuncta forſitan certam cariei diagnoſin conſtituunt? Nequaquam; nam ſi vel omnia ſimul adſint, attamen ex iis certo definiri non poterit utrum caries adſit an necroſis. Quare alia via ad certam diagnoſin progrediamur neceſſe eſt.

Verum ut rite procedamus et eo certius finem noſtrum aſſequamur, diſtinguamus inter necroſin primigeniam et ſecundariam ſeu eam quae e carie oritur. Primigeniae necroſeos ſigna diagnoſtica haec ſunt.

Oſſis pars a perioſteo nudata eſt nulla antegreſſa ejus inflammatione, ſed aut cauſis externis mechanicis vel dynamicis; aut internis quantitativis vel qualitativis perioſteum inflammatum et ſuppuratione deſtructum, aut absque illa, vi quadam demtum eſt, v. c. vulnere, fractura etc. Extra igitur, non in oſſe cauſa nudationis oſſis fuerit neceſſe eſt. Hoc primum

eſt

eſt, ad quod Chirurgus in examine attentus ſit. Nunquam enim oſſis inflammatio cum ſuis ſymptomatibus praegreſſa eſt, ubi necroſis primigenia adeſt; nam ſi praegreſſa eſt, caries adſit neceſſe eſt, aut necroſis ſecundaria. Verum enimvero cum ſimplex oſſis nudatio eodem ſigno indicari, iisdemque a cauſis originem ducere poſſit, alterum in quod inquirat, eſt.

Tempus per quod nudatio oſſis duravit quod ſi aliquot dies, ſeptem aut novem exceſſerit, non ſimplicem nudationem ſed necroſin adeſſe magna cum veriſimilitudine ſuſpicari licet. Quodſi vero per hebdomades aut menſes ne dicam annos duraverit, ſemper necroſin adeſſe certiſſime ſibi perſuaſum habere poteſt. Nudatio enim, quod ſupra monitum eſt, non niſi per aliquot dies integra manet, quibus exactis in necroſin abit.

Tenendum praeterea eſt, viriſimilem ſemper magis praeſentiam necroſeos eſſe, cum cauſae qualitative v. c. ſyphilis, herpes, ſcabies etc. et pus malignum, quam ſi cauſae quantitativae vel mechanicae et ſuppuratio bona adfuerit. Hisce duobus ſignis jam acquieſcere poteſt Chirurgus, ſi alia defecerint, verum ſunt adhuc plura ad quae animum advertat neceſſe eſt.

Huc pertinet: Oſſis pars denudata perioſteo, aëris contactui per aliquot tempus v. c.

per

per horas aut dies aliquot expoſita fuerat. Experientia enim docuit atmoſphaerae tactum oſſi perioſteo nudo quam maxime noxium eſſe et ſemper necroſin efficere. Dignoscitur ſimul hoc ſymptomate necroſis a ſimplici nudatione oſſis, quae uti diximus non niſi tum adhuc locum habere poteſt, cum aut prorſus non aut per breviſſimum tempus os aëri ſuerit expoſita. Idem valet de

Medicaminum irritantium ad partem oſſis perioſteo orbam adplicatione; ea enim eundem effectum, quem admosphaera in os habet, mortem nimirum partis cui applicantur, et eo citius quo magis et fortius remedia os affecerunt. Hisce ſymptomatibus et conjunctis et ſingulis certiſſimis aliud praeterea jure adnumerandum est; nimirum.

Foſſula ſeu depreſſio in circuitu partis nudatae oſſis, in confiniis oſſis et circumdantis perioſtei integri. Hanc ſcilicet ſi cum ſpecillo exploratorio animadvertere licet, certiores eſſe poſſumus, non modo necroſin revera adeſſe, ſed exfoliationem jam inchoatam eſſe licet neque aëri, neque medicaminibus pars nudata expoſita fuerit, neque niſi per breve tempus duraverit, quid? quod abſceſſus ſub quo latebat, non niſi tum demum, cum exploraretur, vel artis auxilio vel naturae viribus apertus fuerit. Experientia enim quotidiana docet, in

ab-

abscessu periosteo insidente, nondum aperto destructo hoc per suppurationem periosteo interdum non modo necrosin in parte nudata adesse sed etiam resorptionem jam coepisse a natura inchoari.

Symptomata in antecedentibus exposita, rite observata diagnosin necroseos primigeniae certissimam reddunt ejusque cum nudatione et carie confusionem non admittunt, quod vero ad necrosin e carie ortam attinet ex aliis praeterea signis et haud raro difficulter cognoscitur. Nimirum primum caries aut adfuit aut adhuc adest, nec per breve modo temporis spatium sed satis diu;

Non parva modo sed major, aliquot saltem lienas lata pars carie corrupta est. Minor, enim v. c. lineae aut duarum linearum particula cariosa saepius resorptione quam exfoliatione a natura sanatur. Majores partes non item.

Pars ista sicca prorsus est, neque ullum suppurationis vestigium ostendit, licet in contiguis ossis et cutis aut musculorum partibus suppuratio continuetur. Difficulter vero hoc signum in ulceribus profundis cognosci potest.

Si resorptio inchoata aut jam progressa est, fossula illa supra commemorata, apparet et pars quae exfoliatur mobilis fieri incipit; absoluta

vero exfoliatione ſenſim ſenſimque ex imo ulcere tollitur ope granulationum ſub ea propullulantium. Quod valet etiam de partibus primigenia necroſi affectis, neque ambigua tum aut difficilis eſt diagnoſis.

Quodſi demum novo oſſe vetus circumdari coepit ex intumeſcentia oſſis et interdum membri ipſius hoc facili negotio cognoſcitur. Caeterum interdum ob ſymptomatum incertitudinem et ambiguitatem certa hujus necroſeos diagnoſis prorſus non fieri poterit, praeſertim tum, cum caries in necroſin tranſire coepit. Verum parum intereſt curae therapeuticae utramque affectionem accuratius diſtinxiſſe, cum utriusque medela fere eadem ſit.

A e t i o l o g i a.

Cauſae necroſis primigeniae occaſionales aut in organiſmo aut extra eum ſunt. Ad priores referenda ſunt omnia illa momenta quae inflammationem et ſuppurationem perioſtei efficiunt v. c. contagia quaedam, cachexiae, ſyphilis, arthritis, ſcorbutus; ſuppreſſio excretionum naturalium et praeternaturalium, rheumatiſmus, pſora, herpes ſuppreſſus, etc. Interdum etiam metaſtaſis.

Ad poſteriores pertinent omnes laeſiones externae quibus perioſteum deſtruitur et pars

 oſſis

offis nudata aëri diutius exponitur, v. c. fracturae, vulnera, operationes, contritiones. Accedat nimirum aëris contactus aut alia res noxia neceſſe eſt, nam laeſiones perioſtei per ſe non necroſin ſed meram nudationem, ut ſupra dictum eſt, efficere ſolent. Aëris ergo contactus alia cauſa eſt, ſi vel per breve tempus continuavit. De tempore quidem experimentis deficientibus nondum ſatis conſtat, breviſſime tamen, ne horae quidem ſufficere obſervatum eſt. Potiſſimum vero ſaepenumero accuſanda eſt perverſa medela, quae magnis inciſionibus et vulnerum dilatationibus factis, non modo aëri liberum aditum aperit, ſed etiam injectionibus irritantibus ſimplicem nudationem in necroſin permutat; nam experientia docuit, omnia quae vel leniter os perioſteo orbatum, irritent mortem ſ. necroſin ei conciliare. Huc pertinet quoque pus diutius in ſuperficie oſſis nudati retentum et corruptum; quare mature, uti diximus aperiantur ejusmodi abſceſſus, neceſſe eſt.

Necroſis ſecundaria originem trahit partim ex iisdem cauſis partim et inprimis e defectu nutritionis ob diuturnam ſuppurationem, partim ex iis cauſis, e quibus caries ipſa orta erat.

Cauſa proxima omnis necroſeos eſt defectus nutritionis quacunque de cauſa, potiſſimum ob jacturam perioſtei. Interdum in oſſis ipſius

ipſius indole corrupta eſſe videtur, nimirum tum cum totum a natura excernitur et expellitur.

Prognoſis.

Prognoſis necroſis primigeniae fauſta eſt, ſi organiſmus caeterum bene valet, et cauſa removeri poteſt, aut jam remota eſt, v. c. ſi ſyphilis univerſalis curata eſt, aut ſanari poteſt, quod, quantum nos experientia docuit, ſemper fieri poteſt. Mala vero ſi contrarium locum habet. Potiſſimum vero prognoſis a ratione medelae pendet, quae ſi perverſa fuerit, per annos aut in perpetuum duratura eſt necroſis, verum ſi idonea et naturae conſentanea eſt, ter novem diebus prorſus ſanari poterit.

Pejor ſemper prognoſis in necroſi ſecundaria eſſe ſolet, ob cauſarum quibus caries orta eſt malignitatem, v. c. ſcrofuloſas affectiones, quae non niſi difficillime curantur. Fauſtior tamen eſt in organiſmo puerili et juvenili et propitia conditione externa utente, per breve tempus durante, in organis et partibus corporis ab articulationibus remotis. Omnium infauſtiſſima caeteris paribus eſt in corpore ſenili, diſpoſitione cachectica aut carcinomatoſa, in articulationibus et tum, cum ob diuturnam pravam ſuppurationom majores oſſium partes ita deſtructae ſunt, ut excreſcentiae oſſeae criſtarum et

 ver-

verrucarum inſtar ortae ſunt aut ſpina ventoſa ſimul adeſt.

MEDELA.

Medela naturae.

Solet autem natura triplici ratione oſſis necroſin ſanare, aut reſorbendo totam partem emortuam, quod fieri ſolet tum cum parvula modo particula ſuperficiei corrupta eſt; aut reſorbendo et exfoliando, quod in majoribus amplioribus et craſſioribus etiam partibus fit; aut demum intercipiendo et occludendo omnem omnino nutritionem et materiae circulationem per perioſteum ita ut in toto ejus circuitu omnis nutritio ceſſet et novi oſſis prima ſtamina circumquaque in interiore perioſtei ſuperficie ponantur. Hoc in necroſi totius cujusdam oſſis fieri ſolet.

In exfoliatione particulari vero natura hoc modo progreditur. In circuitu emortui et ſani ope vaſorum lymphaticorum materia oſſea ita reſorbetur ut foſſula parva lineae circiter lata et ad ſanam usque ſubſtantiam profunda oriatur. Hanc foſſulam, quae in ſuperficie non amplius dilatatur ſed cuniculos quaſi agens oſſis partem necroticam circumquaque ſuffodit, (unterminiret) a peripheria ſeu ambitu incipiens et ad centrum ſ. mediam partem ejus progredientem; hanc inquam foſſulam preſſe ſequitur nova granulatio,

ſ.

ʃ. propullulatio granulationum carnis ope ſyſtematis plaſtici perioſtei. Ita ſenſim ſenſimque reſorptio circumcirca cum nova granulatione pari paſſu progrediens, cum ad centrum perventum fuerit oſſis, particula emortua prorſus a ſanis partibus ſubjacentibus ſoluta, tollitur, ſenſimque propullulantibus indies magis granulationibus evehitur, et dum mechanica irritatione in partibus mollibus ſuperjacentibus muſculis et cute ſuppurationem et conſumptionem earum auget ad ſuperficiem demum effertur et prorſus expellitur, ita ut interdum in plumaceolis impoſitis haereat, et cum iis auferatur.

Medela artis minus idonea.

Medela minus idonea ea fere eſt, quae in capite de carie reprehenſa eſt, nimirum quae dilatato orificio ulceris remedia irritantia ad ſuperficiem oſſis emortui adplicat, et injectionibus incitantibus partes molles debilitat. Huc referenda eſt methodus a nonnullis commendata, partem necroticam puncturis aut foraminibus parvulis perforandi aut ſcalpris aliisque inſtrumentis ferreis auferendi. Nihil enim iſte curandi modus nonmodo juvat, ſed etiam nocet. Per foramina enim aër profundius intrat et necroſin ad interiores oſſis partes propagat; demta vero per ſcalprum ſuperficie necrotica profundiores ſanae partes hac methodo contactui

ctui aëris expoſitae, etiam emoriuntur, necroſisque ad interiores partes progreditur.

Neque ferrum candens proficit, quid enim mors ad mortem fugandam? Nonne ferrum candens necroſin efficit? Necroſis vero jam adeſt, quomodo ergo eam ſanare aut exfoliationem oſſis adjuvare poteſt?

Idem valet de liquoribus iſtis ad exfoliandum commendatis v. c. Liquore Belloſtii, Liquore Myrrhae etc. nihil non modo proficiunt, ſed nimiam ſuppurationem in partibus mollibus excitando nocent. Quare omnia illa immediate ad os adplicata mittenda et ſimili ratione qua cariem ſanare docuimus, necroſis quoque ſananda eſt.

Medela artis idonea.

Duplex potiſſimum indicatio ſeu medendi regula in curatione necroſeos obſervanda eſt: Nimirum

Natura in opere exfoliationis adjuvanda eſt ab arte, ſi ipſius vires non ſufficiunt. Nam ſi organismus bene valet, cauſaque localis modo necroſin effecit, natura ipſa, modo ne turbetur, brevi tempore, uti in antecedentibus expoſuimus, reſorptionem et exfoliationem abſolvit, v. c. in panaritio, poſt trepanationes, ampu-

putationes, in contritionibus offium etc. Verum fi e caufis internis orta eft necrofis, ante omnia illae, diligenter inveftigatae et certe cognitae, artis auxilio removendae funt v. c. fyphilis, arthritis etc. Quomodo hoc fieri poffit nec confilii praefentis nec ambitus libelli eft exponere, nota haec fupponuntur.

Si vero in univerfum organismus nimis debilitate laborat, aut minus propitiis rebus externis utitur; artis eft illam methodo nutriente, roborante, excitante et animante removere; et conditionem externam quantum fieri poteft meliorem reddere.

Caeterum externe partem affectam eadem ratione, qua in carie utitur, et quam in capite de carie expofuimus, curet atque deliget necesse eft, cum idem confilium eadem naturae efficacia eodemque opificio affequi velit, nimirum reforptionem et exfoliationem partis mortuae; eorundem ergo fyftematum ope, lymphatici ad reforbendum et plaftici ad generandas novas granulationes opus habet, quibus ad cariem fanandam indiget. Sedulo ergo in hujus quoque morbi cura, omnia vitanda funt, quae partes molles contiguas, periofteum potiffimum nimis irritare, fuppurationem nimiam et paralyticam quafi debilitatem earum efficere poffint.

Altera artis regula haec eſt. Removenda eſt pars exfoliata artis auxilio, ſi ſola naturae ope expelli non poteſt. Solent quidem uti jam diximus; naturae vires plerumque ad hoc negotium ſufficere, ſed interdum particula exfoliata, ob formam irregularem in partibus oſſis ejusdem contiguis, aut in aliis adjacentibus aut ſub ligamentis, aponeuroſibus, oſſibus aut aliis organis haeret; aut ſi univerſum quoddam os exfoliatum eſt, novo circumdatur, ita ut diuturnas fiſtulas et ſuppurationem perpetuam efficiat. Hic artis auxilio opus eſt. Caute incidantur partes molles, ita ut organorum vicinorum laeſio quantum fieri poteſt, vitetur, incidatur quoque os recens formatum, et ſi jam induruerit, trepani ope, et pars emortua ſequesterque extrahatur. Interdum nimis ampla particula oſſis necrotici exfoliata, antequam extrahatur, comminuenda eſt, ne partes contiguas laedat, aut quoniam alia ratione extrahi prorſus non poteſt. Remota parte mortua, ſanatio ulceris breviſſimo tempore naturae opera perficitur.

Reſtat ut ea quae in antecedentibus ſtrictim expoſuimus exemplis, quibusdam affectionum illuſtremus et confirmemus; e pluribus igitur caſibus ſequentes brevi narratione adjiciamus.

Ob

Obſervatio prima.

R. Sartor hujus urbis, incola qui per aliquot empus ozoena laboraverat, inflammatione ſe-undaria ſacci lacrymalis corripiebatur; quam um negligeret in ſuppurationem et fiſtulam acrymalem abiiſſe reperiebamus cum ſe curae nſtituti clinici ſiſteret. Exploratione fiſtulae acci lacrymalis facta, os a perioſteo nudatum epertum et a pluribus cariem adeſſe judicatum ſt. Neque profecto a vero opinio haecce aber-are videbatur, cum non modo ex ozoena ſy-hilitica illa inflammatio et fiſtula lacrymalis rta erat, ſed auctores etiam qui de fiſtula lacry-nali ſcripſerunt, affirmant, cariem ſaepenumero x illa affectione oriri. Verum differebat prae-eptoris ſententia, quippe qui affectionem oſſis ro mera nudatione oſſis habebat, hisce per-notus cauſis. Inflammatio ſacci lacrymalis non iſi ſecundaria per conſenſum ozoenae orta rat, nec niſi per aliquot dies duraverat; os ëri non expoſitum neque medicaminibus irri-antibus contactum fuerat.

Et confirmavit hanc ſententiam experientia. Jam licet nihil omnino niſi deligatio ſicca ad-iberetur, et puri liber exitus ſervaretur, poſt liquot dies pars oſſis a perioſteo nudata ſana-, neque ſpecillo amplius nudatio reperta eſt. Iaec nudatio absque dubio in necroſin mutata t, ſi — quod ſaepiſſime fieri ſolet — inje-

ctio-

Altera artis regula haec eſt. Remo
eſt pars exfoliata artis auxilio, ſi ſola na
ope expelli non poteſt. Solent quidem u
diximus; naturae vires plerumque ad h
gotium ſufficere, ſed interdum particula
liata, ob formam irregularem in partibu
ejusdem contiguis, aut in aliis adjacentib
ſub ligamentis, aponeuroſibus, oſſibus a
organis haeret; aut ſi univerſum quodd
exfoliatum eſt, novo circumdatur, ita ut
nas fiſtulas et ſuppurationem perpetuam
Hic artis auxilio opus eſt. Caute inci
partes molles, ita ut organorum vicinor
ſio quantum fieri poteſt, vitetur, in
quoque os recens formatum, et ſi jam i
erit, trepani ope, et pars emortua ſeq
terque extrahatur. Interdum nimis amp
ticula oſſis necrotici exfoliata, antequam
hatur, comminuenda eſt, ne partes co
laedat, aut quoniam alia ratione extra
ſus non poteſt. Remota parte mortua,
ulceris breviſſimo tempore naturae ope
ficitur.

Reſtat ut ea quae in antecedentib
ctim expoſuimus exemplis, quibusdam
num illuſtremus et confirmemus; e
igitur caſibus ſequentes brevi narratic
ciamus.

PAGE IS
GLUED

tiones excitantes factae aut plumaceoli medica-
minibus irritantibus tincti immiſſi fuiſſent.

Obſervatio ſecunda.

Puella viginti annos nata optima caeterum valetudine fruens, e refrigeratione inflammationem in maxilla ſuperiori in regione alae naſi ſiniſtrae, perioſteo inhaerentem nacta, acerbis doloribus excruciabatur. Poſt aliquot dies cum jam, licet obscure modo fluctuatio ſentiebatur, abſceſſus in cavitate oris per lanceolam apertus eſt: immiſſo calamo exploratorio particula oſſis magnitudine fabae a perioſteo nudata detecta eſt. Cum dubitari nequaquam poſſet, non niſi ſimplicem oſſis nudationem adeſſe, nihil omnino ne deligatio quidem ulla adhibita eſt, cum aër ob tectum abſceſſus orificium per labium ſuperius non intrare, pus vero libere effluere poſſet; ita diebus quinque ſanatio peracta eſt. Ejusmodi caſus ſimiles plures obſervati ſunt.

Obſervatio tertia.

Miles quadraginta annorum hectica conſtitutione, poſt inflammationem rheumaticam maxillae inferioris et inde orta ſuppuratione male curata, necroſi magnae partis ſiniſtrae maxillae laborabat et per annum et quod excurrit, emplaſtris, unguentis et injectionibus bis quo-

tidie

die factis usus erat. Verum tantum aberat t necrosis ad sanationem progressus faceret, t magis magisque retrogredi et ad febrem hec-cam ob virium per suppurationem exhaustio-em vergere videretur. Aegrotus hicce licet, t dictum est, nequaquam fausta constitutione tebatur, adhibitis remediis internis nutrienti-us et roborantibus notis et calore, aromaticis-ue epithematibus siccis et frictionibus externe uobus mensibus ad sanationem perductus est. ːxfoliatione enim magna maxillae pars qua-uor pollicum longa solvebatur, et apertura acta artis auxilio extrahebatur. Idem fere ac-idit in femina quadam.

Observatio quarta.

Mulier quinquaginta annos fere nata carie :ondyli radii in articulatione ossis humeri per ıliquot annos e causa syphilitica laborans, va-iisque remediis sine ullo successu curata, in-tituto clinico sese tradebat. Pars cariosa in :ondylo non parum inflammato et inde tumi-lo, non modo dolores magnos aegrotae exci-abat verum etiam ichorem male olentem fun-lebat, et excrescentiis variis fungosis obducta erat. Omnibus remediis externis hucusque ab aliis adhibitis rejectis, externe nihil nisi calor siccus et aromatica sicca et spirituosa adhibe-bantur, neutiquam in superficie ulceris ipsius,

sed

ſed in ambitu, nimirum in cute. Interne vero hydrargyrum muriaticum corroſivum ſecundum novam methodum adhibebatur. Hisce remediis non modo brevi tempore ichor in bonum pus mutabatur ſed etiam excrescentiae fungoſae disparebant, et ulcus oſſis ſine exfoliatione ſanabatur.
